

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum orare sit proprium rationalis creaturæ? 10

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

Deo, ut ipsum fletamus, sed ut in nobis ipsis fiduciā excitemus postulandi. Quæ quidem præcipue excitatur in nobis, considerando eius charitatem ad nos, qua bonum nostrum vult: & ideo dicimus, Pater noster. Et eius excellentiam, qua potest: & ideo dicimus, Qui es in cælis.

## ARTIC. X.

*Vtrum orare sit proprium rationalis creature?*

D decimum sic proceditur. Viderur, quod orare non sit proprium rationalis creature. Eiusdem enim videtur esse petere, & accipere. Sed accipere conuenit etiam personis increatis, scilicet Filio & spiritui sancto. Ergo etiam eis conuenit orare. Nam & filius dicit Io. 14. Ego rogabo patrem meum. Et de spiritu sancto dicit apostol. Spiritus postulat pro nobis.

¶ 2 Præterea, Angeli sunt supra rationales creaturas, cum sint intellecuales substantiae. Sed ad Angelos pertinet orare: unde in Psal. 96. dicitur, Adorate eum omnes Angeli eius. Ergo orare non est proprium rationalis creature.

¶ 3 Præterea, Eiusdem est orare, cuius est inuocare Deum: quod præcipue fit orando. Sed bruis animalibus conuenit inuocare Deum, secundum illud Psal. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis corvorum inuocantibus eum. Ergo orare non est proprium rationalis creature.

SED contra, Oratio est actus rationis, ut supra habitum est. Sed rationalis creature à ratione dicitur. Ergo orare est proprium rationalis creature.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex supra \* dicitur, oratio est actus rationis, per quem aliquis superiorem deprecatur: sicut imperium est actus rationis, quo inferior ad aliquid ordinatur. Illi ergo propriè competit orare, cui conuenit rationem habere, & superiorem quem deprecari possit. Diuinis autem personis nihil est superius. Bruta autem animalia non habent rationem. Unde neque diuinis per-

sec. Sec. Vol. ij. V sonis

447

4. d. 15. q.

4. ar. 6 q.

1. Q. 3.

ar. 1 huc

ius q.

Ibid.

306 Q.V.ÆS. IV. LXXXIII. ART. X.  
sonis neque brutis animalibus conuenit orare, sed  
proprium est rationalis creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod diuinis personis  
conuenit accipere per naturam. O. are autem est acci-  
pientis per gratiam. Dicitur autem filius rogare, vel  
orare, secundum naturam assumptam, scilicet huma-  
nam, non secundum diuinam. Spiritus autem sanctus  
dicitur postulare, quia postulantes nos facit.

Ad secundum dicendum, quod intellectus & ratio  
non sunt in nobis diuersæ potestæ, ut in 1. \* habitu  
ar. 8. est. Differunt autem secundum perfectum, & imperfectum.  
Et ideo quandoque intellectuales creaturæ, quæ sunt  
Angeli, distinguuntur à rationalibus: quandoque au-  
tem sub rationalibus comprehenduntur. Et hoc modo  
dicitur oratio esse proprium rationalis creaturæ.

Ad tertium dicendum, quod pulli coruorum di-  
cuntur invocare Deum, propter naturale desiderium,  
quo omnia suo modo desiderant consequi bonitatem  
diuinam. Sic etiam bruta animalia dicuntur Deo obe-  
dire, propter naturalem instinctum, quo à Deo mo-  
uentur.

#### A R T I C . XI.

4.8 Vtrum sancti qui sunt in patria, orent pro nobis?  
4 d.15.9. D vndeclimum sic proceditur. Videtur, quod san-  
4 a.6. q.cti qui sunt in patria, non orent pro nobis. A-  
2. et d.45 dus enim alicuius magis est meritorius sibi quam  
9.3. a.3. alijs. Sed sancti qui sunt in patria, non merentur sibi,  
e. cū Mar nec pro se orant: quia iam sunt in termino constitu-  
rh. S. ter tio. Ergo etiam neque pro nobis orant.  
tio loco. ¶ 2 Præterea, Sancti perfectè suam voluntatem  
de celeb. Deo conformant, ut non velint nisi quod Deus vult.  
Misar. Sed illud quod Deus vult, semper impletur. Ergo  
frustra sancti pro nobis orarent.

¶ 3 Præterea, Sicut sancti qui sunt in patria, sunt  
superiores nobis, ita & illi qui sunt in purgatorio,  
quia iā peccare non possunt. Sed illi qui sunt in pur-  
gatorio, non orant pro nobis, sed magis nos pro eis.  
Ergo nec sancti qui sunt in patria, pro nobis orant.

¶ 4 Præ-